

Obj. 5. Levit. 4. & Num. 15. præcipiunt sacrificia pro peccatis ignorantie, & debet intelligi de ignorantia invincibili, quia Num. 15. dicitur: *Quoniam spontè non peccaverunt*: ergo. R. 1. illic præcipi sacrificia, non tantum pro peccatis ignorantie Juris naturalis, sed etiam Juris positivi & ceremonialis; unde argumentum est pariter solvendum ab Adversariis. 2. Juxta Estium, Menochium, & communiter Interpretes, agitur de ignorantia vincibili & voluntaria. Nec refert, quod dicitur, *quoniam spontè non peccaverunt*; perinde est enim ac si diceret: quoniam per ignorantiam peccaverunt; quia, quod fit per ignorantiam vincibilem, & consequenter non est ex omni parte & plenè voluntarium, sed involuntarium secundum quid; si enim sciretur, non fieret, & ideo non fit omnino spontè; unde eod. c. 15. Num. non spontè peccare & peccare ex superbia, & cum cognitione inter se opponuntur.

Obj. 6. ab inconvenientibus: Si ignorantia invincibilis Juris naturæ excuset a peccato formali, sequitur 1. quod melior sit conditio ignorantis, quam scientis, quia iste peccabit formaliter, ubi ille peccabit tantum materialiter. Sequitur. 2. Quod Ethnici, qui putant Religioni servire colendo idola, & Hæretici, qui non magis dubitant de suis erroribus, quam nos de nostra fide, excusarentur a peccato formali; atqui hæc sunt absurda: ergo. R. ad primum 1. Idem argumentum fieri posse de ignorante Jus positivum; unde nihil pro Wendrochio, cujus est hoc argumentum. 2. Næsequelam; quia ignorantia invincibiliter & bona fide est in ea animi dispositione, quod, si cognosceret, non ageret contra legem: & si argumentum valeret, sequeretur, quod melior esset conditio stulti, quam hominis sani, quia hic posset peccare formaliter, ubi stultus peccaret tantum materialiter. Ad 3. si supponas, Ethnicos & Hæreticos ignorare invincibiliter, non est absurdum, quod in hac hypothesis non peccent formaliter. At quantum ad Ethnicos, negamus hypothèsim; quia, ut alibi probavimus, non datur ignorantia invincibilis de existentia veri Dei. Quantum ad hæreticos, quidam volunt in plebejis, rusticis, & simplicibus posse dari ignorantiam invincibilem; alii negant: sed quidquid sit, nihil inde contra nos. Adde; in hæreticis agi de ignorantia Juris positivi.

## ARTICULUS VII.

## De inadvertentia ad peccatum.

Nota 1. Inadvertentia differt ab ignorantia, quod ignorantia sit privatio scientiæ, seu cognitionis habitualis; inadvertentia privatio cognitionis actualis. Unde, ubicumque est ignorantia, est inadvertentia, sed non e contra; potest enim ille, qui scit habitualiter, actu non advertere ex naturali distractione, vel aliunde.

Nota 2. Inadvertentia potest esse similis ad actum & ad malitiam, ut in ebrio, aut dormiente. Potest etiam esse advertentia ad actum, & inadvertentia ad malitiam, ut qui sciens esse hodie jejuniu comedere carnes, advertens quidem ad comestionem carniu, sed non advertens ad diem jejunii, seu prohibitionem; & de hac inadvertentia est hic questio.

Nota 3. Sicut datur ignorantia invincibilis & involuntaria facti, Juris positivi divini & humani, & etiam naturalis quoad remotionem, ut probavimus; ita circa eadem, propter easdem rationes potest dari inadvertentia invincibilis & involuntaria.

Nota 4. Sicut quæcumque ignorantia invincibilis excusat a peccato, quia facit involuntarium; ita propter eandem rationem, quæcumque inadvertentia invincibilis excusat a peccato. Non enim id, quod fit ex ignorantia invincibili, est voluntarium, quia ignorantia privat cognitionem habituali; sed quia privat actuali cognitione & consideratione, cum voluntas nostra non regatur habituali cognitione, sed actuali. Et sicut e contra ignorantia vincibilis & voluntaria, sive directè in se, sive indirectè in causa non excusat a peccato, ita nec inadvertentia vincibilis & voluntaria in se, vel in causa.

Hæc omnia constant ex dictis de ignorantia. Et in hoc conveniunt omnes Theologi, quod ad peccandum formaliter requiratur, quod quis possit & debeat advertere ad malitiam: *Si advertere virtualiter & interpretative*, inquit Pater Delbecque, advertentis actualis acerrimus hostis, *pro eodem sumatur, quod advertere posse, seu debere*, (non debet autem, si non possit) *requiritur ad peccandum formaliter advertentia ad malitiam actus*. Sed difficultas est, quando quis censetur sic posse advertere, ut ejus inadvertentia dicatur vincibilis & non excusans a peccato. Questio facta celebris ab ortu Peccati Philosophici. Quidam requirunt actualem cognitionem, saltè confusam, de malitia actus, sitam in quodam dubio, vel scrupulo, aut suspitione malitiæ. Alii volunt sufficere, si advertat ad actum; quia inde, inquit, potest advertere ad malitiam. Nos utramque sententiam generaliter intellectam minus veram arbitramur; & inter hæc extrema mediam inimus viam, quam supra tenuimus,

agentes de notione ignorantie invincibilis; eadem enim nobis videtur ratio de inadvertentia invincibili.

Dico 1. Ut inadvertentia ad malitiam actus censeatur vincibilis, & non excusans a peccato formali, non semper requiruntur actualis sive scrupulo, sive dubitatio, aut suspicio de malitia actus. Patet 1. In his, qui peccant ex ignorantia vincibili; hi enim pro certo nullum actualem scrupulum, dubium, aut suspitionem habent de malitia sui actus, cum illam ignorent; & tamèn eorum inadvertentia est vincibilis, sicut ipsa ignorantia, ex qua procedit. Et ex hoc capite sæpè in Scripturis & Patribus dicuntur peccata ignorantie. Patet 2. in his, qui, quamvis fortè habitualiter sciant, aliunde tamèn voluntariè ponunt causam inadvertentia, nimirum per pravos habitus, quos fovent, per passiones, quibus se totos dædunt, per supinam salutis incuriam, & similes modos, quibus fit, ut peccata quasi innata habeant, & circa eorum malitiam cæciant, ad eamque nullatenus attendant; hos enim impios, mundanos, obduratos, execratos, & iis similes, quoties passionum motibus efferuntur, actuali scrupulo, dubitatione, suspitione de malitia actuum suorum, aut pia aliqua cogitatione semper pulsari, ab experientia & ratione prorsus est alienum; atqui tamèn eorum inadvertentia est vincibilis & voluntaria, a peccato formali non excusans: ergo. Prob. Min. 1. Quia alioquin excusanda forent perditissimorum hominum flagitia & abominatones; quod nemo concedit. 2. Quia effectus malus sequens ad causam voluntariè positam, in qua fuit prævisus, aut facile prævideri potuit, est voluntarius & culpabilis, ut alibi non semel diximus; atqui hi, de quibus hic est questio, ponunt voluntariè causas inadvertentia & obæationis circa malitiam suorum actuum, eamque inadvertentiam & obæationem ex his causis securitatem aut prævidentiam, aut facile prævidere possunt: ergo. Et hæc ratio fundatur in Auctore 1. 2. q. 6. art. 8. o. ubi dicit: *Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis potest scire & debet, que est ignorantia male electionis, vel ex passione, vel ex habitu procedens... Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria aliquo istorum modorum, non potest causare simpliciter voluntarium*.

Dico 2. Extrà hos casus 1. Conclusionis, hoc est, quantum ad illos, qui non ponunt voluntariè causam, ex qua prævidere possunt securitatem inadvertentiam circa malitiam suorum actuum, sed vel ex oblivione, aut distractione naturali, vel alia causa inculpabili patiuntur inadvertentiam hujusmodi, ut censeatur vincibilis & voluntaria ista inadvertentia, & non excusans a peccato, requiritur, si non determinatè actualis scrupulus, dubitatio, aut suspicio malitiæ, saltè aliqua cogitatio, aut cognitio sive periculi, sive obligationis inquirendi, sive quæcumque alia, quæ, si non negligetur, ex se conduceret ad cognitionem malitiæ.

Prob. Quia extrà casus 1. Conclusionis nihil est assignabile præter hujusmodi cognitionem, in quo quis dici queat posse advertere, & hac posita potest advertere. Hoc ultimum patet. Prob. primum: 1. Quia, ut dicebam art. 1. Patet 2. de ignorantia invincibili, cum ex una parte intellectus noster sit potentia necessaria, non se determinat ad considerandum, aut cognoscendum aliquid, sed determinatur ab objecto, vel a illis potentis, præsertim a voluntate. Voluntas ex altera parte non potest determinare intellectum ad considerandum, nisi ex prævia aliqua cognitione, quæ non sit voluntaria, quia præcedit primam volitionem, voluntas enim non fertur in incognitum, sive in se, sive in sua causa; inde illud: *Ignoti nulla cupido*: ergo in his, qui non ponunt voluntariè causam inadvertentia, sed vel ex oblivione, aut distractione naturali, vel ex alia causa inculpabili non advertunt ad malitiam, nihil est assignabile, in quo dicantur posse advertere, quam dicta cogitatio. 2. Qui potest vincere inadvertentiam, aliquid plus habet, quam qui non potest vincere; atqui non potest aliud assignari extrà casus 1. Conclusionis, nisi aliqua cognitio de se nata perducere ad cognitionem malitiæ. 3. Si intellectus noster esset ex se proximè & moraliter potens ad inquirendum & depellendum inadvertentiam, nulla unquam esset inadvertentia invincibilis & involuntaria, ut patet; atqui falsum Consequens, ut experientia constat, & omnes fatentur: etenim vit probus, qui apprimè sciens se teneri hodie ad jejuniu, ex oblivione naturali manducat carnes, ab omnibus excusatur propter inadvertentiam invincibilem. Confer, quæ dixi de ignorantia invincibili loco priùs cit.

Dices 1. Hoc ipso quo quis advertit ad actum, potest advertere ad malitiam: ergo, si non advertat, ejus culpa est, & inadvertentia est vincibilis. R. In primis falsitatem Antecedentis, generaliter intellecti petere in exemplo modo allato. Distinguo itaque istud Ant. Hoc ipso quo quis advertit ad actum, potest advertere ad malitiam in peccatis externis, quæ sunt contra primaria & secundaria præcepta Juris naturæ, C. Ant. Quia ex se & facile ingerunt sui malitiam, & ideo, sicut non da-

datur de iis ignorantia invincibilis, ita nec inadvertentia invincibilis. In peccatis, quæ sunt contra præcepta positiva, aut etiam naturalia remota, & tertie classis, N. Ant. Quia hæc cum sint obscura, & difficilioris considerationis, non ingerunt ex se suæ malitiæ notitiam. Unde, sicut de iis datur ignorantia invincibilis, ita & inadvertentia invincibilis. Dixi: *in peccatis externis contra primaria, & secundaria præcepta Juris naturalis*, ut sunt furta, homicidia, adulteria, &c. quia quoad motus internos circa eadem, videtur omnino concedendum posse dari inadvertentiam invincibilem, & involuntariam, quia longè minus quam actus externi ingerunt sui malitiam. Unde sæpè, qui sunt timoratae conscientie, obstinate vexantur motibus concupiscentiæ, vicietæ, iudicii temerarii, &c. quos quidem sentiunt, & advertunt, absque eò quod reflectant ad malitiam, quam cum primò advertunt, illos cum horrore rejiciunt & detestantur.

Inst. 1. Aug. libr. 1. Retract. c. 15. docet, ad peccatum non requiri voluntatem peccati, sed sufficere voluntatem facti; atqui, qui advertit ad actum, etsi non advertat ad malitiam, habet voluntatem facti: ergo. R. D. Ant. Aug. docet, ad peccatum materiale sufficere voluntatem facti, C. Ad peccatum formale. N. Aug. agit ibi de eo, qui fecit aut malum nesciens invincibiliter esse malum & dicit, quod hoc fecit, scilicet actum, seu peccatum materialiter, quia voluit, non tamen peccavit, scilicet formaliter, quia voluit: unde concludit, quod tale peccatum, scilicet materiale non fuerit sine voluntate, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod potius obest, quam prodest objicenti; nam si Aug. intelligeret de peccato formali, non solum esset cum voluntate facti, sed etiam cum aliqua voluntate peccati, saltè indirecta: nullum enim est peccatum formale, secundum Aug. & omnes Theologos, quod non sit voluntarium in ratione peccati, saltè indirecte.

Inst. 2. Thom. hic q. 19. art. 6. ad 1. dicit: *Ad hoc ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum naturam suam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum; sed ad hoc quod sit bonum requiritur, quod utroque modo sit bonum*: ergo nulla apprehensio, seu advertentia ad malitiam requiritur ad peccatum; sed sufficit, si actus sit secundum se malus, & sit advertentia ad illum. Et q. 20. art. 5. o. docet, quod eventus, qui per se sequitur ad actum, & ut in pluribus, etsi non sit præcogitatus, addat ad bonitatem, vel malitiam actus. Idem docet q. 73. art. 8. o. ergo idem, quod priùs. Ad 1. R. cum Sylvio, S. Thom. loqui de eo, quod est per se, hoc est extrà casum, quo ignorantia, quia est invincibilis, excusat a peccato, ut patet ex corpore articuli, ubi expressè docet ignorantiam invincibilem excusare eum, qui agit id, quod secundum se est malum; v. gr. qui accedit ad non suam. Sensus ergo est, quod, ut id, in quod fertur voluntas, sit malum, sive quod apprehendatur ut malum, sive quod sit secundum se malum, si tamèn id non ignoretur invincibiliter. Ad 2. R. S. Thom. loqui de eventu, qui tam evidenter sequitur ex actu, ut pœtetur facile prævideri, ita quod si non fuerit prævisus, proveniat ex culpa agentis, ut scandalum ex fornicatione publica, mors hominis ex omissione bovis cornpetæ, ex quo facile prævideri poterat aliquid nocuum sequiturum. Sunt exempla, quæ adfert S. Doct. in utroque loco.

Dices 2. Potest contingere, quod vit probus & timoratus ex aliqua negligentia, aut precipitatione in agendo non advertat ad malitiam, neque habeat ullum dubium, aut ullam cogitationem, quo ipsum deducat in cognitionem malitiæ; atqui tamèn ejus inadvertentia erit vincibilis & culpabilis, nec excusabitur a peccato: ergo. R. Hunc casum comprehendit in prima conclusione, in qua generaliter dicimus & intendimus, omnes eos, qui voluntariè ponunt causam, ex qua possunt facile prævidere sequituram inadvertentiam, non indigere aliqua cogitatione prævia, ut hæc inadvertentia sit ipsis vincibilis & voluntaria, sed in ipsa causa illis esse voluntariam. Institimus quidem in impiis, obduratis, execratis, consuetudinariis, &c. quia in his & similibus, ita regulariter, & evidentius contingit. Potest tamèn etiam contingere in viris probis & timoratis, sed rariù, ut saltè plerumquè venialiter, pro levitate negligentie, aut precipitationis. Ab ulterioribus objectionibus supersedeo, quia cum nostra sententia sit media inter duas extremas, & aliquid de utraque participet, quæ objicere possunt, facile solvuntur secundum alterutram conclusionem.

Ex dictis colliges 1. meritò fuisse damnatum ab Alexandro VIII. hanc propositionem: *Peccatum Philosophicum, quantumvis grave in eo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensiva Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pena dignum*. Quia, sicut, ut peccatum sit philosophicum, seu contra rationem, non requiritur, quod peccans actu co-

gitet de malitia philosophica, seu repugnantia ad rationem, sed sufficit, quod possit cogitare aliquo modo ex assignatis; ita, ut peccet theologice contra Deum, & ipsum offendat, non requiritur, quod de illo actu cogitet, sed sufficit, quod possit cogitare. Insuper hoc ipso, quo peccat philosophice, cogitando de malitia contra legem, cogitare potest, & de facto implicite cogitat de Legislatore; nemo enim nescit se, dum peccat contra Legem, peccare contra Legislatorem, & ipsum offendere.

Colliges 2. Pro praxi, Confessarium debere maxime venari ex moribus Penitentis, an inadvertentia, quam allegat, sit vincibilis, vel invincibilis; si enim sit vitæ liberioris, pravus habitus constrictus, sæculi moribus serviens, & salutis incurius, judicanda est ut plurimum inadvertentia vincibilis & voluntaria: si e contra sit timoratae conscientie, curam sedulo gerens salutis, sæpè de malitia suarum actionum sollicitus, &c. ut plurimum judicanda est ejus inadvertentia invincibilis & involuntaria, nisi sit in peccatis externis circa primaria & secundaria præcepta Legis naturæ, ut diximus.

Colliges 3. Peccatum ex inadvertentia, vincibilis esse gravius, aut levius, secundum quod inadvertentia, aut potius negligentia advertendi fuerit gravius, vel levior, sicut dictum est de ignorantia, ita quod possit esse tam levis, ut de mortali faciat veniale; quod non raro accidit in Timoratis, ut jam dixi.

## ARTICULUS VII.

## Utrum ignorantia excuset a penis, per Leges positivas statutis.

Suppono 1. Ignorantiam invincibilem Juris, aut facti, quæ excusat ab omni peccato, excusare a pena; quia pena non decernitur nisi propter culpam, alioquin foret injusta. Dixi: *Que excusat ab omni peccato*; quia si ignorantia excuset tantum a peccato contra aliquam legem, puta humanam, quæ ignoratur & non excuset a peccato contra alteram legem, puta divinam, aut naturalem, quia non ignoratur; probabilis existimo, peccantem non eximi a pena per Legem humanam statuat, si non sit censura Ecclesiastica; tunc quia remanet justa, & proportionata culpæ; tunc quia Legislator humanus non solum intendit urgere observantiam suæ Legis, sed & Legis divinæ, aut naturalis, nec solum punire transgressionem suæ Legis, sed & transgressionem Legis divinæ, aut naturalis, cuius debet esse custos & protector. Unde fir, qui conscius legis naturalis ignoraret furtum esse prohibitum lege humana, incurtere nihilominus penam suspendit: qui ignorat Legem Ecclesiasticam de impedimento criminis, & crimen committit, incurrit impedimentum; & sic de aliis. Est autèm specialis ratio de Censuris, ut dicam infra.

Suppono 2. Ignorantiam vincibilem Juris, aut facti, quæ excusat a mortali, etiam excusare a pena, saltè tanta; quia leges positivæ non censentur decernere graves penas pro peccatis venialibus; unde, si sit pena latæ sententiæ, ut excommunicatio, non incurritur; si sit ferendæ, Judex debet minuire, & arbitrariam minorem imponere. Censetur autèm ignorantia vincibilis excusans a mortali, quæ non est crassa & supina; quia alia quæcumque ignorantia, quæ non est crassa & supina, est levis. Et quoad penas Ecclesiasticas extat expressus Canon Juris, *Ut animarium*, quem modò referam.

Suppono 3. Ignorantiam vincibilem, etiam crassam & supinam, legis latæ sub his, aut similibus formulis: *Qui scienter, temerariè, casu temerario contra fecerit, vel contra facere ausus fuerit; aut præsumperit*, excusare a pena; quia, ut ait Cajet. 2. 2. q. 53. art. 3. *Verba Juris non frustra apposita, nec improprie sumenda sunt*; frustra autèm essent apposita, nec cum proprietate restrictiva sumerentur, si penam incurterent delinquentes ex ignorantia etiam crassa.

An autèm incurterent, qui in hoc casu delinquent ex ignorantia affectata? Quidam affirmant; quia ignorantia affectata nihil minuit de peccato, & æquipollet scientiæ. Alii tamèn, inquit Serra, oppositum videtur probabilis. Nam superior illis verbis videtur exigere certam & expressam scientiam ac ingenitè temeritatem, præsumptionem, vel contemptum, quibus caret, qui peccat ex ignorantia etiam affectata; ita ille. Cujus sententiam dumtaxat refero, non ut certam propono, quia non constat, quod ignorantia affectata, cum æquivaleret secundum Jura scientiæ, non importet grandem temeritatem & contemptum; estque satis verisimile Legislatores non velle eximere ab observantia suarum legum & penis in eos, qui affectant illas ignorare, ut eas liberè transgrediantur.

Questio igitur superest, an ignorantia penæ excuset ab illa eum, qui peccat graviter contra Legem, quam novit, aut ignorat ignorantia crassa, & supina? Pro ejus resolutione

Dico 1. Ignorantia, etiam invincibilis, penæ non excimit ab illa eum, qui peccat graviter contra Legem, quam vel no-

vit, vel ignorat ignorantia crassa, & supina, nisi illa poena sit extraordinaria, aut nisi sit censura Ecclesiastica. Prob. Leges statuunt poenas condignas culpis: ergo, qui committit culpam, reus est poenae, etiamsi eam invincibiliter ignoret; non enim est de ratione poenae quod sit cognita, aut voluta, cum ex se habeat quod sit violenta, & contra voluntatem. Confirmatur: Ideo Ignorantia invincibilis excusat a peccato, quia tollit cognitionem; & consequenter voluntarium; atqui, ut dixi, non est necesse, quod poena sit cognita, & voluntaria, cum sit contra voluntatem: ergo. Hinc, qui peccat mortaliter ignorans invincibiliter poenas Inferni, eas nihilominus incurrit: Fur, aut homicida ignorans poenam capitibus his criminibus decretam, eam incurrit; & sic de similibus.

Dico 1. Nisi sit poena extraordinaria, quia distingui possunt duo genera poenarum. Quaedam sunt ordinariae, & proportionatae delicto secundum se; aliae sunt extraordinariae, & supra naturam delicti, nude, & secundum se consideratae, aucte. Quamvis ergo ad incurrendas poenas ordinarias non requiratur earum cognitio, requiritur tamen ad incurrendas poenas extraordinarias, quia non sequuntur ex culpa secundum se, & simpliciter considerata, sed ratione gravitatis ei superadditae ex cognitione, & contemptu talium poenarum. Qua ratione S. Thom. hic q. 73. art. 8. docet, fidelem, qui novit poenas inferni, graviore subiturum, quam infidelem, qui eas non novit; Quia, inquit, ex hoc videtur peccare gravius, quod majores poenas contemnit, ut implet voluntatem peccati. Hujus generis sunt Censurae Ecclesiasticae, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum, ut dicam modo. Et ideo dixi in Conclusionem, nisi sit Censura Ecclesiastica. Pro quo

Dico 2. Ignorantia invincibilis Censurae Ecclesiasticae eximit ab illa peccantem scienter contra legem, per quam est decreta. Isti communis. Prob. Id est speciale, & proprium Censurae Ecclesiasticae, quod non incurritur nisi propter contumaciam contra Ecclesiam non qualitercumque, sed contra Ecclesiam praecipientem, aut prohibentem sub Censura; cujus signum est, quod nullus incurrat Censuram, nisi praecedat monitio Juris, aut Judicis, non qualicumque, sed sub comminatione Censurae; atqui, qui invincibiliter ignorat Censuram, non est hoc modo contumax in Ecclesiam: ergo. Confirmatur 1. Censura Ecclesiastica non tam est poena vindictiva in ultionem criminis, quam poena medicinalis deterrrens a crimine; atqui poena incognita non terret, ergo. Confirmatur 2. Censura Ecclesiastica est poena extraordinaria, quae sequitur culpam, non secundum suam naturam, & simpliciter consideratam, sed ratione gravitatis superadditae ex cognitione, & contemptu hujusmodi poenae; atqui ignorantia invincibilis poenae extraordinariae excusat ab illa, ut dictum est: ergo.

Dico 3. Probabilis videtur, ignorantiam, etiam vincibilem, modo non sit crassa, & supina, Censurae Ecclesiasticae, eximere ab illa peccantem scienter contra Legem, per quam est statuta. Ita Sylvester verbo Excommunicatio 1. q. 3. Navar. Covarr. & alii multi. Colligitur ex Cap. Ut animarum 2. de constitutionibus in 6. ubi habetur sic: Ut animarum periculis obviam, sententis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari volumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia non fuerit crassa, & supina. Ratio suffragatur: Qui ignorat Censuram etiam vincibiliter, sed ignorantia leviter culpabilis, non crassa, & supina, non dicitur propter obediens, & contumax contra Ecclesiam sub Censura praecipientem, aut prohibentem; atqui hujusmodi contumacia requiritur ad incurrendam Censuram, ut dictum est: ergo.

Dico 4. In hoc Canone agi tantum de sententiis, seu Censuris Episcopalis, non Pontificis, seu Juris communis, nomine enim Ordinariorum intelliguntur Episcopi. Respondet Sylvester verbo Excommunicatio quest. 8. quod Canon non dixit quorumcumque Ordinariorum locorum, cujusmodi sunt Episcopi, secundum Glossam; sed quorumcumque Ordinariorum simpliciter, ut includeretur etiam Papa, qui est omnium Ordinariorum Ordinarius: idque evincit ratio, quam allegat, scilicet, ut animarum periculis obviam; haec enim ratio aequae, imo magis currit in sententiis Pontificis, quippe quae plures ligant, & minus publicantur, quam in sententiis Episcopalis. Non ergo Pontifex hic statuit Jus novum, & speciale sine sententiis Episcoporum, sed Jus antiquum, & commune declaravit pro quibuscumque Sententiis, seu censuris Ecclesiasticis.

Dico 5. Ex hoc Canone, sic generaliter intellecto, sequeretur, quod, qui scienter accedens ad consanguineam suam uxoris, ignorans privationem debiti petendi esse huic crimini annexam, illam non incurreret, sique sine dispensatione posset petere debitum; atqui falsum Consequens; ergo. R. Quosdam admittere Consequens; sed hoc, inquit Serra, non est tutum, cum sit contra omnem Ecclesiae consuetudinem. Et bene. 1. Quia 1. privatio petendi debitum non tam est poena, quam inhabilitas quaedam, & impedimentum, sicut privatio contrahendi ma-

trimonium annexa uxorcido, quam tamen incurreret, qui illam ignoraret, quia ab istis impedimentis, & inhabilitatibus non excusat ignorantia. 2. Quia est ista privatio petendi debitum sit proprie poena, non est poena extraordinaria quae supponat cognitionem & feratur propter contumaciam, & contemptum, ut sunt Censurae, & ideo sequitur naturam culpae commissae. Est ergo specialis ratio intelligendi hunc Canonem de Censuris, & non de aliis poenis, aut inhabilitatibus Ecclesiasticis.

Utrum autem debeat etiam intelligi de irregularitate ex delicto? Quidam affirmant; quia reponunt irregularitatem ex delicto inter censuras. Alii negant; quia irregularitas ex delicto, inquit, non incurritur propter contumaciam sicut Censura, sed propter turpitudinem culpae, qua quis, secundum Ecclesiae regulas idoneus, & inhabilis ad Sacrum Ministerium redditur; sique male reputari Censuram. In dubio tutius elige.

ARTICULUS VIII.

Utrum quoties voluntas peccat, praecedat aliquis error practicus in voluntate?

Nota: Duplex error distinguitur in intellectu: (1. p. q. 63. art. 1. ad 4.) unus speculativus, quo judicat aliquid secundum se licere, quod non licet, v. gr. fornicationem esse licitam; alter practicus, quo judicat licitum, & nunc aliquid sibi conveniens, & faciendum, quod non est conveniens, nec faciendum. Certum est, quoties voluntas peccat, non praecedere errorum speculativum in intellectu, alioquin omnis peccans esset Haereticus. Est ergo quaestio de errore practico. Pro quo

Dico: Quoties voluntas peccat, praecedat saltem natura in intellectu aliquis error practicus, proprie, vel improprie dictus. (Ib. & hic q. 77. art. 2. o. & alibi.) Prob. (Ibid.) In tantum voluntas peccat, in quantum praefert bonum utile, aut delectabile tanquam sibi conveniens bono honesto; atqui voluntas, cum sit potentia caeca nata sequi ductum intellectus, non potest praefere bonum delectabile tanquam sibi conveniens bono honesto, nisi intellectus judicet hic, & nunc bonum delectabile esse sibi conveniens, & praefereendum bono honesto, in quo practice erat: ergo. Dixi Error practicus, proprie, vel improprie dictus; (Ibid.) quia voluntas potest peccare non eligendo quod malum est, sed quod secundum se est bonum, non tamen cum ordine debito; ut si quis eligeret orare, non attendens ad ordinem institutum ab Ecclesia; quo casu non praecedit in intellectu error proprie dictus, quo judicat conveniens, sed aliqua inconsideratio ad regulam, quae dicitur improprie & late: sicut contingit in primo peccato Angelorum, qui peccaverunt convertendo se ad proprium bonum sine ordine ad regulam divinae voluntatis, ut explicuimus Dissert. 4. de Angelis art. 1. vide. Juxta itaque sensum hujus conclusionis verificatur, quod dicitur Prov. 14. Errant, qui operantur iniquitatem: & illud vulgatum desumptum ex Philosopho 1. Ethic. cap. 3. omnis peccatus ignorans.

Dico 2. Posito judicio practico ad unum, v. gr. ad non fornicandum, voluntas, cum sit libera, potest eligere oppositum, scilicet fornicationem: ergo potest peccare sine errore practico. R. D. Ant. Posito, &c. voluntas potest eligere oppositum potentia antecedente, & in sensu diviso, C. Potentia consequente, & in sensu composito, N. quia sequitur infallibiliter istud judicium ultimum practicum, quod habet vim imperii. Neque tamen ideo desinit esse libera; tum quia istud judicium practicum est ab ipsa voluntate libera, quae sic applicuit intellectum ad illud, quod potuisset applicare ad aliud; tum quia ad libertatem voluntatis sufficit, quod stante judicio practico de non fornicando retineat potestatem fornicandi, non tamen conjungendi hoc ultimum judicium cum fornicatione. Insuper merito observat doctissimus Sylvius, voluntatem et intellectum non esse consideranda tanquam duo supposita diversa, eaque ab invicem independentia, quorum unum sit ita simpliciter liberum, ut altero repugnante possit quicquid sibi placuerit; sed consideranda sunt tanquam unius ejusdem suppositi potentiae ad invicem ordinatae, quae ambae simul requirantur, ut suppositum possit dici, & esse liberum, adeo ut neutra sufficiat sine altera.

Inferes: ergo omnia peccata sunt ex ignorantia, cum tamen Theologi communiter distinguant peccata ex malitia, ex infirmitate, & ex ignorantia. R. D. Illatum Omnia peccata sunt ex ignorantia speculativa circa commune eligibile, N. Ex ignorantia practica circa particulare hic, & nunc eligibile, C. Neque hoc obstat distinctioni peccatorum, quippe quae petitur ex variis dispositionibus, quae concurrunt ad formandum hoc judicium erroneum practicum: si enim formetur ex ignorantia circa commune eligibile, est peccatum ex ignorantia: si formetur ex passione, est peccatum ex infirmitate: si sine passione, aut ignorantia speculativa, est peccatum ex malitia.

Obji-

Obijciuntur insuper quaedam propositiones damnatae Parisiis ann. 1226. quarum explicationem vide, si lubet, apud Ludovicum Sylvium hic q. 77. art. 2. ad 4. Quae ulterius tractat. S. Thom. QQ. 77. & 78. de peccatis ex passione, & malitia, nihil offerunt specialiter discutendum, & plura, quae illud spectant, hinc, & inde diximus. Unde ad causas extrinsecas peccati gressum facimus.

ARTICULUS IX.

Utrum Deus sit causa peccati?

§. I. Praenotanda.

Nota 1. Peccatum utpote concretum accidentale duo importat materiale, & formale. Materiale est actus, seu entitas; formale est malitia, seu difformitas. Dum quatinus, utrum Deus sit causa peccati, non est quaestio de materiali, sed de formali: sicut, dum quaero, quis fecerit statuum hanc, non quaero quis fecerit lignum, sed quis fecerit formam, seu figuram. Nota 2. Deum esse aliquo sensu causam peccati, primus dogmatizavit, teste Vincentio Lirin. cap. 34. communit. Simon Magus, quatenus docebat Deum dedisse nobis naturam, quae non posset non peccare. Deinde Cerdonista, Marcionista, Manichaei, & Albigenses; qui statuentes duo prima rerum principia, unum bonum, alterum malum, huic tanquam causae peccata referebant.

Primus autem, qui aperte blasphemavit, Deum, & bonum Deum, esse proprie Auctorem peccati, fuit quidam Florinus Montani Discipulus, teste S. Ireneo apud Eusebium l. 5. hist. cap. 20. Hunc secuti sunt saeculo 16. quidam dicitur Libertini, quorum duces erant duo Sutores Flandri Coppinus, & Quintinus, quorum iste sententia Magistratus Tornacensis fuit propter flagitia, & hanc haeresin morti addictus. Contra illos scripsit ipse Calvinus, licet verbotenus tantum ab eis differat; imo verisimile sit illos ex Calvini principis suam haeresin hausisse.

Nota 3. Calvinus itaque, Zuinglius, Beza, & alii ejusdem furoris, docuerunt Deum ab aeterno positive praedestinasse, & voluisse omnia peccata, quae sunt ab hominibus; & in tempore praecipere satanae, & impiis hominibus, ut conciperent maleicia, & alios inducant ad peccandum; hos, & illos inclinare, impellere ad peccatum; ipsa ut causam principalem facere per impios tanquam per sua instrumenta omnia, quae respectu hominum sunt vera peccata; & tamen, his non obstantibus, Deum non solum non peccare, sed nec esse causam, & Auctorem peccati. Et hoc triplici ratione; prima, quia natura humana vitio prius hominis est totaliter corrupta. Secunda, quia Deus, dum homines ad peccata impellit, dum ea jubet, & facit per impios tanquam per sua instrumenta, habet bonum finem, nempe ut manifestet suae justitiae, & misericordiae gloriam, quosdam juste puniendo, alios misericorditer liberando: cum e contra, dum homines impellente, & jubente Deo peccant, malum finem spectant, scilicet ut libidinem explant. Tertia, quia homini posita est lex, non Deo.

Sed contra. Prima ratio deficit in primo peccato hominis, & Angelorum, quorum natura non erat corrupta. Secunda ratio, quam perpetuo urgent, stare non potest; 1. Quia aperte contradicit Apostolo, dicens Rom. 3. non esse facienda mala, ut eveniant bona. 2. Quia, licet intentio mala vitiet opus de se bonum, non tamen intentio bona cohaerescat opus de se malum; quia bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu; & alioquin excusandus foret a peccato, qui v. gr. furaretur ad solvenda debita, aut ad faciendum elemosinam. 3. Quia juxta principia istorum haereticorum Deus est Auctor ipsiusmet maxime intentionis: impellit enim, inquit, ad peccatum, ut habeat peccatores, quos juste punit, & quos misericorditer liberet, & peccatum secundum eosdem non est sine mala intentione: ergo impellens ad peccatum impellit ad malam intentionem, & ejus est Auctor. Subsumo; atqui, qui est Auctor male intentionis, est Auctor peccati, cum sit Auctor hujus, ex quo actio secundum illos est mala, & proprie peccatum. Tertia ratio corrumpit. 1. Quia, etsi Deo non sit posita lex ab aliquo superiore, ipse tamen, seu sua sapientia est sibi ipsi lex: non minus ergo tenetur Deus nihil facere contra suam naturam, seu sapientiam, quam tenetur homo nihil facere contra legem Dei, alioquin Deus seipsum negaret, quod non potest secundum Apost. 2. Tim. 2. 2. Deus, impellens hominem, v. gr. ad adulterium, sicut artifex impellit instrumentum, imponit ipsi legem, & vult, quod homo sibi obediat; sicut artifex vult, quod instrumentum sibi pareat: ergo homo committens adulterium transgreditur, & non transgreditur legem; peccat, & non peccat: ergo Deus impellens vult eum transgredi, & non transgredi legem, peccare, & non peccare; quae plane sunt contradictoria. Aut, si vis, peccator est omnino excusandus, utpote

obediens legi, quam ipsi hic, & nunc imponit superior, consequenter liberatus a lege priori contrarium praecipiente. 3. Peccatum nihil est aliud quam transgressio legis: ergo nec fieri, nec concipi potest Deum impellere ad transgressionem legis, & non esse auctorem peccati.

Et hinc sequitur, etiam Deum peccare. Non enim magis repugnat legi aeternae velle mentiri, quam velle, & efficere, ut alter mentiarur: nec minus punitur in Republica, qui mandavit furtum, quam qui fecit. Insuper ad peccandum requiritur & sufficit, quod quis libere ponat actionem repugnantem legi, non ut causa universalis attingens solum rationem generalem entis; sed ut causa particularis attingens rationem specificam actionis male; atqui Deus, juxta Calvinum, hoc totum praestat per impios tanquam per sua instrumenta. Quod libere ponant actionem malam, apertum est, neque id negat: quod cum ponat ut causa particularis, & in tali specie, hoc formaliter docet Calvinus l. 2. Instit. cap. 4. §. 2. Omnia, inquit, hic universalis Dei motionem, unde creaturae omnes, ut sustinentur, ita efficaciam quibus agendi ducunt. De illa specie actione tantum loquitur, quae in unoquoque favore appareat. Id. m. ergo factus Deo, satanae, homini assignari, videmus non esse absurdum. Et l. 1. Instit. cap. 18. §. 2. Dicitur etiam idem Satan excusare infidelium mentes; sed unde hoc, nisi quod a Deo ipso manat efficacia erroris. Observat hic Bellarminus, Lutherum, & Melancthonem olim hac, & similia docuisse, sed in posterioribus operibus retractasse.

Nota 4. (Hic q. 79. art. 1. o.) Duplex distingui potest causa peccati; una per se, & directe, ut cum quis impellit, concurret positive, seu influit in peccatum: altera per accidens, & indirecte, tanquam removens prohibens, ut cum quis non impedit peccatum, quod potest, & debet impedire. His notatis, sit

§. II. Resolvitur Quaestio.

Dico 1. (Ibid.) Deus nec est, nec esse potest per se, & directe causa peccati: id est, Deus non impellit, movet, instigat ad peccatum, non jubet illud, non facit illud, neque per se, neque per Satanam, aut impios tanquam per sua instrumenta. Prob. 1. ex Scripturis. Deut. 32. dicitur: Dei perfecta sunt opera, & omnes viae ejus judicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus, & rectus. Rom. 9. Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Ps. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Eccli. 15. Non dicas: me implavit, id est, decepti, & in peccatum induxit. Et postea: Nemini mandavit impietate agere. Jacob. 1. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur, Deus enim inventor malorum est. 1. Joann. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Sap. 11. Nihil odisti eorum, quae fecisti; & tamen Sap. 14. Illi odio suat impius, & impietas ejus. Et alibi saepe.

Respondent Haeretici, voluntatem, qua in Scripturis Deus dicitur non velle peccata, esse voluntatem signi: aliam autem habere voluntatem proprie dictam, qua revera vult peccata, ut patet ex aliis Scripturae locis, quae infra proponuntur. Sed contra: Non solum Deus dicitur in Scripturis non velle peccata, sed etiam non facere: quae autem Deus vult voluntate proprie dicta, seu beneplaciti, illa facit: ergo non vult peccatum voluntate proprie dicta. 2. Voluntas signi dicitur a Theologis praecipuum, aut inhibitu: ergo voluntas, quae non effertur in Scripturis per modum praecipii, aut inhibitionis, ut cum dicitur: Non Deus volens iniquitatem tu es: Est inventor malorum, &c. intelligitur de voluntate signi. 3. Scriptura saepe dicit, Deum odisse, & punire peccata; atqui injustum foret Deum odisse, & punire, quae ipse faceret, & proprie vellet ab aliis fieri. Quod insuper respondent, Deum bono fine impellere ad peccatum, & ipsi non esse legem positam, praevenerunt §. praecedenti.

Prob. 2. ex Paribus. S. Doct. cap. 4. de div. nom. S. Ireneus apud Euseb. l. 5. Hist. cap. 19. S. Basil. hom. 9. Nazian. orat. 3. Ambros. lib. de fuga saeculi cap. 7. & lib. Hexameron. cap. 8. Hieron. in cap. 1. ad Ephes. Greg. Magnus lib. 29. moral. cap. 21. & hom. 9. in Ezech. S. Prosper ad cap. gall. Resp. 14. & ad obj. Vincent. Resp. 10. S. Fulgentius toto libro ad Monim. & alii disertè asserunt, Deum non impellere ad peccatum, non facere peccatum, nec ullatenus esse causam, seu auctorem peccati.

Sed quia Haeretici abutuntur quibusdam textibus S. Aug. ideo specialiter probatur ex August. In primis tres libros composuit Aug. de lib. arbit. ea potissimum de causa, ut probaret Deum non esse causam peccati; unde l. 3. cap. 16. Omnino non inventio, inquit, nec inventi posse, & prorsus non esse confirmo, quomodo tribuuntur peccata nostra Creatori nostro. Lib. 2. de peccat. meritis cap. 5. Ad peccandum non adjuvamus a Deo. C. 17. Nullius culpe humanae in Deum referas causam. C. 18. Malam voluntatem ad Auctorem Deum esse referendam, nefas est dicere: Lib. de ordine cap. 1. Sequitur, aut divinum providentiam non usque ad haec ima protendit, aut certe mala om-

omnia Dei voluntas committit: Utrumque impium, sed magis posterius. Quid expressus? lib. de Spiritu & lit. cap. 31. Nusquam legitur in sanctis Scripturis, non est voluntas nisi a Deo & recte non scriptum est, quia verum non est, aliquando etiam peccatorum (quod absit) Auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo; quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiamsi desit effectus, id est, si non habeat potestatem. Lib. 1. ad Bonif. cap. 3. Non potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle. Et alibi similiter.

Prob. 3. Ex Conciliis. Araucanorum 2. cap. 23. sic definit: Voluntatem suam homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Et can. 25. Aliquos ad malum deus potestate praedestinos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Trid. Sess. 6. can. 16. Qui dixerit... mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium opus eius non minus praeditio Juda, quam vocatio Pauli, anathema sit.

Prob. 4. ratione 1. (Ibid.) Omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum sicut in finem; atqui impossibile est, quòd Deus sit sibi, vel aliis causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum: ergo. Prob. Min. Deus est ultimus finis omnium, & omnia consequenter inclinat & convertit in seipsum ut finem ultimum, juxta illud Prov. 16. Universa propter semetipsum operatur est Dominus: ergo. Confirmatur. (Q. 3. de malo art. 1.) Peccatum consistit in aversione ab ultimo fine; atqui Dei voluntas non potest averti ab ultimo fine, cum ipse, qua summum bonum sit, ultimus finis; neque fieri potest eadem ratione voluntatem alicujus averti ab ultimo fine: ergo neque ipse peccare potest, neque fieri ut alter peccet. 2. Peccatum est defecus, & a principio defectivo procedit; atqui Deus nec est, nec esse potest principium defectivum, utpotè acus purissimus & perfectissimus: ergo. 3. Justa voluntas, ut dicit S. Amel. Lib. de Lib. arbit. cap. 8. est, qua vult id, quod Deus vult illam velle: ergo, si Deus vult illum peccare, peccando vult quod Deus vult illum velle, & simul Deus non vult illum velle, & propter quod illum punit, quod est manifestè contradictorium. 4. Nihil, inquit Aug. Lib. 83. Quæstionum, Quæst. 3. sapiente homine Auctore sit detentus; atqui Deus est homine quolibet sapiente presentior: ergo. 5. Nulla potest assignari justa ratio, cur Deus velit & facit homines peccare: ergo. Prob. Ant. Non aliam assignant Heretici, nec assignare possunt, quam hanc, scilicet ut Deus habeat, quorum miseretur, & quos punit, sicque elucent misericordia & justitia; atqui ex hoc, quod Deus velit & facit homines peccare, & aliquorum miseretur, alios punit, nullatenus inde elucent misericordia & justitia, quin potius appareat injustitia & crudelitas: ergo. Prob. Min. Quamvis in puniendo injustum appareat justitia, attamen efficere injustum, ut punitur, non est justitia, sed summa injustitia; hoc enim non est intendere poenam propter culpam, sed culpam propter poenam, quod est omnino inordinatum & injustum. Unde Fulg. Lib. ad Monitum cap. 22. Justitia, inquit, justa non erit, si puniendum eum non invenire, sed scilicet dicatur, quin potius major erit injustitia, si lapsus Deus retribuit poenam, quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam. Neque est misericordia, sed potius crudelitas, efficere hominem impium, ut ab impietate liberetur, sicut crudele esset hominem vulnerare, ut sanetur: ergo.

Dico 2. (Hic q. 79. art. 1. a.) Neque per accidens & indirectè Deus est causa peccati. Quia tunc tantum quis dicitur causa per accidens & indirectè peccati, nimirum ut removens prohibens, quando potest & debet impedire peccatum, & non impedit: sicut Governator non dicitur causa submersionis navis ex hoc, quod non gubernat navim, nisi quando subtrahit gubernationem, potens & debens gubernare; atqui Deus secundum leges suæ sapientiae & providentiae universalis non tenetur impedire peccata, quæ permittit; ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Juxta Scripturam Deus ab aeterno voluit & praedestinavit peccata hominum: ergo. Prob. Ant. Genes. 45. Joseph dicit fratribus, qui eum vendiderant Ismaëlitis: Non vestro consilio, sed Dei voluntate hic missus sum. Et cap. 50. Nolite timere, nam Dei possumus resistere voluntati? Act. 2. Hinc (Christum) definitio consilio et praesentia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemisistis. Et cap. 4. Convertentur verè in civitate ista adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem innoxium, Herodes et Pilatus cum Gentibus, et Populus Israel, facere, quæ manus tua et consilium decreverunt; et ergo. R. N. Ant. Ad prohibitionem observandum est generaliter, in peccatis, quæ fiunt contra proximum, duo reperiri; nimirum actionem malam venientis, & passionem illius, cui injuria inferitur. Patet in exemplis prolatis, venditione Joseph, & crucifixione Christi. Si ergo

istæ actiones considerentur ex parte agentium, sunt malæ, & eas Deus nec vult, nec praedestinavit, sed permittit tantum. Si ex parte patientium & Joseph, & Christi, & similium, qui has injurias æquo animo ferunt, est opus virtutis, & est a Deo volitum & praedestinatum. Nunc ad singula.

Ad 1. Joseph non refert peccatum fratrum suorum ad voluntatem Dei, sed transitum suum in Ægyptum, quatenus ex illo magnum bonum secutum est. Non enim dixit: Non vestro consilio, sed Dei voluntate me vendidistis, sed, hic missus sum: Quasi diceret: vestri consilii non erat me exaltare, sed solius Dei, qui tamèn vestro consilio usus est in bonum: unde cap. 50. dicit: Vos cogitatis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me. Similiter, dum dicit: Nolite timere: nam Dei possumus resistere voluntati? Non intendit excusare crimen fratrum suorum, quasi volente Deo, cui non potest resisti, illud commiserint; sed, cum timebant, ne ulcisceretur hanc injuriam, vult illis hunc metum excutere, declarando se juxta voluntatem Dei, a quo tot bona recepit, & cui non potest licitè resistere, illis condonare injuriam sibi factam, & sequi eis & suis beneficiarum, quod aperte indicat versus subsecente, dicens: Nolite timere, pascam vos & parvulos vestros. Hunc etiam sensum erunt Interpretes ex Hebræo, ubi pro istis verbis, Nunc Dei possumus resistere voluntati? legitur: Nunc pro Deo ego sum, ut ulciscar, & a me petenda sit venia: & apud 70. Interpretes: Dei enim sum ego, scilicet servus obediens ejus voluntati, qua vult, ut vobis parcam. Undè Christus. hom. ultima in Genes. hunc sensum reddit: Ne timeatis, neque anxii sitis; Dei enim sum ego, & Deum meum imitor, & beneficia rependere studeo his, qui non ferenda contra me fecerunt. Ad 2. Scriptura non dicit, quòd Dei consilio Judæi interfecerint Christum; sed quòd consilio Dei fuerit traditus scilicet Judæis, & missus in mundum; quod verum est. Posteriorum verborum sensus non est, quòd Deus decreverit peccata Judæorum, qui crucifixerunt Christum, sed ejus passionem & mortem, quam revera fecerunt, seu intulerunt Judæi. Ita S. Leo serm. 16. de Pass. Dom. alii Patres & communiter Interpretes.

Obj. 2. Sæpe in Scripturis Deus dicitur impellere ad peccatum, sive moralitè illud jubendo, sive physicè movendo voluntatem ad illud, aut utendo satana, vel hominibus, tanquam instrumentis ad operandum illud. Sic 1. 1. 2. Reg. cap. 16. legitur Dominus præcepit Semei, ut malediceret David. 2. Ibid. cap. 24. Addidit irasci furor Domini contra Israel, commovitque David in eis dicentem: vade, mœnera Israel, & Judam. 3. Lib. 3. Reg. 22. Deus dicit spiritui malo, qui promiserat se decepturum Achab: Decipies, & prævaldebis, vade, & fac ita. Sequitur: Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum. Idem Isa. 63. & Ezech. 14. 4. Joann. 13. Christus dicit: Quod facis, fac citius. 5. 2. Reg. 12. Deus dicit Davidi per Natham Prophetam: Ego suscitabo super te malum de dono tuo, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus, tu enim fecisti in absconditis ego autem factum in conspectu omnis Israel & in conspectu solis. 6. Isa. 10. Sennacherib Rex Assyriorum dicitur: Serra in manu Domini, virga furoris & baculus iræ ejus contra Judæos. Et cap. 13. Ego suscitabo contra vos (id est Babylonios) Medos. 7. Ps. 104. Convertit cor eorum, ut odirent populum suum. 8. Ps. 118. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam. Item istud Orationis Dominicæ: Et ne nos inducas in tentationem. Item Ps. 43. Declinasti semitas nostras a via tua. 9. Rom. 1. Tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant ea, que non conveniunt. Et cap. 2. Thessal. 2. Mittet Deus illis operationem erroris, ut credant mendacio; Et plura alia similia: ergo.

R. (Ibid. ad 1.) Hæc, & similia Scripturæ loca duplici modo ex Auctore posse intelligi & solvi. 1. Deus dicitur præcipere mala opera, aut ad illa impellere, non propriè, sed metaphorice, quatenus ea permittit, peccantes deserit, eisque dat facultatem malè agendi, non juris, sed facti, sine qua non peccarent. Sic dicimus exponere eos, quos non tenentur. Sic venator dicitur immittere canem in leporem, quamvis tantum laxet illum. Sic in Scriptura Deus dicitur abstulisse honorem Job, & ipsum afflixisse, quamvis constet ex ipsa Scriptura & serie hujus historie concessisse tantum diabolo facultatem, quam petebat affligendi Job: nec enim indigebat Satan jussu Dei, ut faceret id, ad quod ex odio in Job adeo erat propensus.

2. Deus dicitur (Lecl. 3. in cap. 9. Rom.) præcipere mala opera & ad illam impellere, non solum permissivè, sed occasionalitè, quatenus aliquid homini proponit, aut circa illum agit vel interioris, vel exterioris, quod quantum est de se est inductivum ad bonum; sed homo propter suam malitiam perversè utitur ad malum, & inde sumit occasionem peccandi. Hoc patet Isa. 10. ubi dicitur de Assur: Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit; sed ad conterendum erit cor ejus. Hoc etiam contingit Pharaoni dupliciter, cum

cùm a Deo excitaretur ad Regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitate. 2. Ex eo quod Deus benefecerat populo suo, sumpsit occasionem majoris odii, & majoris savitiae in Judæos, quo sensu S. Aug. & Theodoretus intelligunt illud Ps. 104. Convertit cor eorum, (Ægyptiorum) ut odirent populum suum. Sicut ergo, cum laudamus aliquem, aut ei beneficiamus coram ejus inimico, qui inde magis invidet, dicitur causa hujus majoris invidiæ, & ad illam impellere; ita Deus, cum facit aliquid, quod est de se bonum, ex quo peccator sumit occasionem peccandi, dicitur causa hujus peccati, & ad illud impellere, nempe utrobique occasionalitè.

Addè ex Hugone a S. Vict. l. 1. de Sacram. part. 5. cap. 29. quòd Deus etiam quandoque agit circa peccatorem, sive interior voluntatem ejus regendo, & flectendo, sive exterioris sive exteriorum voluntatem ponendo, alias amovendo, ut impediatur, ne mala voluntas ad quodcumque peccatum eliat, et sic peccare velit, ad hoc unum determinatè feratur; idque propter fines sibi notos. Juxta quam intelligentiam dicitur etiam præcipere peccatum, & ad illud impellere, non quòd velit illud fieri, neque voluntatem inclinat ad illud, sed qua impedit, ne voluntas mala, quæ peccare vult, quovis modo peccet, sed hoc uno tantum modo. Potest ergo voluntas mala, inquit Hugo a S. Vict. loco cit. in se corrumpi, & resolvit per proprium vitium, quod ei alium de non datur, sed non potest velle extrinsecè præcipitari, nisi qua ei via aperitur. Et qui præcipiti qua vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat, non impellendo, sed permitiendo, & non tenendo, nec Auctor illi est ruendi, sed incedendi ordinatur. Juxta hanc ergo duplicem, aut etiam triplicem intelligentiam, facile, & breviter respondeo ad singula.

Ad 1. Verbum præcepit, seu ut habent 70. Interpretes, & Aug. dicit, non sumitur hic pro veri nominis jussione, sed pro ordinavit: sicut sumitur 3. Reg. 17. cum dicitur: Corvæque præcepit, ut pascerent se ibi. Ordinavit autem Deus, non impellendo Semei ad maledicendum, aut illam in ejus voluntate operando, sed partim permitiendo, partim impediendo, ne mala ejus voluntas in aliud peccatum ferretur, & operando aliquid bonum sive interioris, sive exterioris, puta, opportunitatem loci, fugæ, conditionis calamitose Davidis, ex quibus Semei sumpsit occasionem illi maledicendi; qua dispositione, & providentia intendebat Deus humilitationem, & poenitentiam Davidis.

Ad 2. eadem est solutio, nempe quòd Deus furore accensus contra populum suum excitaverit David permissivè, & occasionalitè ad numerandum populum. Altera solutio est, quòd per furorem Domini non intelligitur Deus, sed Satan, ut legitur 1. Paralip. cap. 21. Conspexit Satan contra Israel: & concitavit David, ut numeraret Israel. Ad 3. hæc verba: Egrederet & fac ita, non sunt accipienda præceptivè, sed permissivè. Non enim indigebat præcepto spiritus malignus, ut deciperet Prophetas Achab, quippe qui ad id se obulcrat immediate ante, dicens: ego decipiam... egreddiar, & ero spiritus mendax in ore Prophetarum: attamen malam voluntatem exequi non poterat, nisi Deus permitteret. Cùm ergo Deus dicit: Egrederet & fac ita, sensus est: non impedio, quin facias, quod meditaris, sed permitto. Et cùm additur: Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum; sensus est, quòd permisit isti spiritui persuadere mendacium omnibus Prophetis Achab, & eos ad illud proferendum impellere.

Ad 4. Non sunt verba præcipiens, sed indicantis se scire, quid rei sit, & non impediens, nec timentis, sed permittentis; quasi diceret: scio quid moliris contra me, & quamvis possem impedire, non impedio tamèn, nec timeo, sed permitto, ut illud cito exequar. Equidem Ambros. intellexit verba Christi continere præceptum, sed ea interpretatus est de expulsionè Judæ ex Collegio Apostolorum.

Ad 5. Sensus est: Suscitabo super te malum, prene scilicet per infamiam, qua afficietis: Tollam uxores tuas, &c. id est permittam Absalon, eique dabo potestatem facti scilicet, non juris, tollendi uxores tuas, & eis abutendi. Tu commisit secretò adulterium, ego permittam ut filius tuus palam abutatur uxori-bus tuis; & sic tui criminis poenam tuas.

Ad 6. & 7. responsus est in secunda explicatione. Ad 8. Orat Prophetæ, ut Deus inclinet eum per gratiam ad custodiam legis suæ, & ne permittat per subtractionem gratiæ eum inclinare in avaritiam. Similiter per orationem Dominicam petimus, ne permittat nos consentire tentationi: Cùm dicimus, ne nos inducas in tentationem, inquit Aug. Ep. 121. cap. 11. nos admoneat hoc petere, ne deserti ejus adjutoris, alicui tentationi, vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Eadem responsio potest adhiberi verbis Ps. 43. Pares tamen post Chrysost. & Hieron. sic intelligunt, ut negatio, quæ in priori parte propositionis legitur, afficiat etiam secundam; ita ut sensus sit: Non recessit retrò cor nostrum, & non declinasti semitas nostras a via tua. Quidam intelligunt viam Domini, ejus misericordiam; juxta illud Ps. 24. Universæ viæ Domini misericordia, & veritas.

Ad ultimum. Patet solutio ex dictis, (Hic ad 1.) scilicet, Deus dicitur tradere in reprobum sensum, non agendo, nec movendo, sed deserendo, & non impediendo quominus peccatores sequantur suum reprobum sensum. Ad alia verba Apost. (In hæc verb. apost.) Deus mittet, id est, permittit illis venire operationem erroris: sive, ut alii dicunt: mittet Antichristum, qui, operante diabolo, Judæos decipiet, & in errorem ducet.

Obj. 3. Ex August. S. Doct. in Ench. cap. 101. sic loquitur: Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, & rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona. Tantum interest, quid velle homini, quod Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut approbetur, aut improbetur. Ergo juxta August. Deus vult malum, quod voluit homines, sed cum hac differentia, quòd Deus velit ex bona intentione, homines ex mala, & ideo voluntas Dei non est mala; quamvis sit mala voluntas hominis; quod est ipsa sententia Calvinii. R. N. Conseq. S. Aug. enim ibi non agit de objecto, quod est secundum se malum, sed ex aliqua circumstantia, seu ex ipsa mala intentione: ponit exemplum in morte patris, quam Deus, & filius voluit: Sic, inquit, aliquando bona voluntate homo vult aliquid, scilicet vitam patris, quod Deus non vult. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, puta mortem patris, ut citius adeat ejus hereditatem, quod Deus vult bona, puta in punishmentem peccatorum præteritorum, aut in cautelam futurorum. Et sic nihil inde contra nos.

Inst. 1. Aug. l. 5. contr. Julian. cap. 3. Quæris inaniter, inquit, quomodo intelligendus sit tradere Deus multum laborans, ut ostendas eum tradere deserendo. Et infra: Quid est, quod dicit, cum desideris suis tradidit dicitur, vult per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata commisit? Ergo. R. Nos non dicere, quòd Deus tradit homines suis desideris, solum deserendo, & per solam patientiam, sed etiam per potentiam; non quòd moveat, aut impellit ad peccatum, sed quatenus per potentiam impedit unum peccatum, & permittit aliud, atque sive interioris, sive exterioris operatur id, quod bonum est, ex quo peccator mala voluntate sumit occasionem peccandi, ut explicatum est superius.

Sed, ut intelligatur, quæ fuerit mens Aug. observandum est Julianum intellexisse Deus tradere in passionem ignominia, seu in peccatum, duplici modo. 1. Nuda & simpliciter deserteone, seu permissione, non verò ea permissione, qua velit unum peccatum esse in poenam alterius. 2. Per patientiam, non statim puniendo peccatum. Contra 1. Aug. dicit, quòd Julianus inaniter laborat, ut ostendat Deum tradere deserendo, quia id non negabat Aug. sed negabat Deum nunquam deserere in poenam alterius peccati, ut volebat Julianus. Undè ibidem immediate subjungit S. Doctor: Sed quomodo libet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit, scilicet in poenam præcedentis peccati: Curavit enim Apostolus dicere, quanta poena sit tradi passionibus ignominia, sive deserendo, sive alio, vel explicabili, vel inexplicabili modo. Contra 2. dicit Aug. quòd inde sequeretur, dum petimus a Deo, ne tradat nos pravis desideris, nos petere, ne sit patiens erga nos; quod est absurdum.

Inst. 2. S. Aug. lib. de grat. & lib. arbit. c. 20. dicit, quòd Deus Semei voluntatem proprio suo vitio malam in inclinationem maledictionis judicio suo justo, & occulto inclinavit. Et c. 21. dicit, Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum: ergo. R. Eadem solutio (Hic ad 1.) Deum inclinare voluntates hominum in malum, non impellendo ad peccatum; sed vel impediendo unum peccatum & permittendo aliud, vel operando interioris, aut exterioris aliquid bonum, quo abutitur peccator in malum.

Inst. 3. Aug. in Ench. cap. 100. dicit: Non fit præter ejus (Dei) voluntatem, quòd etiam contra ejus sit voluntatem, quia non fieret, si non sineret; neque utique volens sinit; sed volens; atqui peccata non fiunt præter Dei voluntatem: ergo ipso volente. Item, si non invitus, sed volens permittit fieri peccata; ergo permittit volens ea fieri. R. Peccata non fieri præter Dei voluntatem, nihil aliud significat, quam quòd Deus ea possit impedire, & tamèn non velit impedire, sed velit permittere, ut fiant: neque sequitur, quòd velit illa fieri; quia hæc volitio haberet pro objecto ipsa peccata, seu eorum perpetrationem, quod est malum, consequenter esset mala ista volitio: prima autem volitio habet pro objecto permissionem peccati, quod non est malum, proindeque non mala volitio.

Inst. 4. Aug. ibid. cap. 96. docet peccata fieri, bonum esse. Dicit enim: Quamvis, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona; tamèn, ut non tollant bona, sed etiam sint mala, bonum est: ergo. R. D. Ant. Peccatum fieri est bonum per se, N. Peccatum enim per se ad nihil est utile; per accidens, C. Quatenus scilicet ex peccatis Deus omnipotens, & bonus novit elicere bonum: ex quo non sequitur, quòd Deus ea velit fieri.

sed tantum, quod velit permittere, ut fiat. Plura alia tum ex Scriptura, tum ex SS. Patribus obijciunt Hæretici, quæ referunt & solvunt Controversiæ, sed quibus facile responderi potest juxta triplicem explicationem datam. Observandum insuper, Deum in Scriptura dici causam omnium mali, sed intelligitur de malo poenæ, & non de malo culpæ.

Obj. 4. Unum peccatum sæpe est poena alterius peccati; atqui Deus est causa omnium poenarum: ergo & peccati. R. D. Maj. Unum peccatum secundum se consideratum est poena alterius peccati, N. De ratione enim peccati secundum se est, quod sit voluntarium, & de ratione poenæ est, quod sit contra voluntatem. Peccatum consideratum per accidens secundum adjuncta est poena alterius peccati, C. Quia nempe peccator propter peccatum præcedens privatur gratia ad vitandum aliud, patitur afflictionem sive ex parte spiritus, ut in peccatis iræ, invidia, &c. sive ex parte corporis, quod sæpe debet fatigari, ut expleat suas cupiditates. Item ex peccato sequuntur effectus suo auctori graves, ut remorsus conscientie, infamia, morbi, &c. Quæ omnia sunt poena peccati præcedentis.

Obj. 5. Quod est causa causæ, est causa causati; sed Deus est causa liberi arbitrii, quod est causa peccati: ergo. R. D. Ant. (Ibid. ad 3.) Quod est causa causæ, est causa causati, quando causatum procedit a media causâ, ut subest ordini & motioni primæ causæ, C. Quando causatum procedit a media causâ, secundum quod exigit ordinem & motionem primæ causæ, N. Sicut, si Minister facit aliquid contra mandatum Domini, non reducitur in Dominum sicut in causam. Peccatum autem procedit a libero arbitrio, non ut subest ordini & motioni primæ causæ, scilicet Dei, sed ut deficit ab illo. In idem redit altera hujus axiomatis distinctio: quod est causa causæ formaliter ut causæ, seu causantis, est causa causati, C. Quod est causa causæ, materialiter ut existentis, N. Sic Pater est causa filii, non tamén est causa homicidii a filio perpetrati, quia non est causa filii formaliter ut causæ, seu causantis hoc homicidium. Similiter Deus est causa liberi arbitrii quantum ad esse, sed non est causa liberi arbitrii formaliter ut causantis peccatum: liberum enim arbitrium non causat peccatum, secundum quod est aut movetur a Deo, sed secundum quod ab illo deficit.

Obj. 6. Deus est causa actus peccati: ergo est causa peccati. R. Deum esse causam actus peccati, communiter docent Theologi cum Auctore hic art. 2. & ita certam existimat hanc sententiam S. Doctor, ut d. 4. q. 2. art. 2. dicat, quod opposita sit propinquissima duplici errori. Quomodo autem Deus sit causa actus peccati? An per concursum simultaneum tantum, an etiam per prævium? Et quomodo in utraque sententia salvetur, quod Deus non sit causa peccati? Hoc totum, quod graves patitur difficultates, abundè explicuimus in Tract. de Deo Dissert. 8. art. 5. require ibi, & habe hic pro dictis.

Obj. 7. Deus est causa excæcationis & obdurations; atqui excæcatio & induratio sunt peccata: ergo. Antè responsionem notandum, excæcationem & indurationem proprie dictas duo importare. (Hic q. 79. art. 3. o.) Primum induratio importat mo-

tum animi sic inharerentis malo, ut contemnat ea, quæ a malo avertere & ad bonum convertere possunt, eisque resistat. Excæcatio importat motum animi sic aversi a divino lumine, ut veritatem evidentè manifestatam nolit acceptare. Secundum quod importat, est subtractio gratiæ; quæ sequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum. Hoc notato, R. D. Maj. Deus est causa excæcationis & indurationis, si sumantur secundum quod dicunt motum animi inharerentis malo, & aversi a divino lumine, N. Maj. Quia sic sunt peccata, Deus autem non est causa peccati. Si sumantur secundum quod dicunt subtractionem gratiæ, C. Quia sic sunt poenæ: Deus autem est causa poenæ.

Petes 1. Quæ sit gratia, cujus privatio dicitur induratio & excæcatio? R. Certum est, non esse gratiam efficacem, quia quilibet peccans ea privatur. Non est etiam omnis gratia sufficiens; quia privari omni omnino gratia sufficiens perinet ad statum damnationis; sed est gratia sufficiens proxima & frequentius collata, ita ut indurati & excæcati non habeant amplius nisi gratias remotas, debiliores, & rarius collatas. Pro quo vide Tract. de Deo Dissert. 7. art. 8. præsertim obj. 2.

Petes 2. Ad quid ordinetur induratio & excæcatio? R. (Ibid. art. 4. o.) Per se ordinari ad damnationem indurati & excæcati; quia, quod importat motum animi adharerentis malo, vel aversi a divino lumine, sunt peccatum; pro autem importat subtractionem gratiæ, sunt præambulum ad peccatum; atqui peccatum per se ordinatur ad damnationem peccantis: ergo. Per accidens tamén & ex divina misericordia ordinatur medicinaliter ad salutem indurati & excæcati, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur & convertantur. Hæc autem misericordia non conceditur omnibus induratis & excæcatis, sed solum Prædestinatis, quibus omnia cooperantur in bonum, Rom. 8.

Petes 3. circa Q. 80. S. Thomæ: an, & quomodo diabolus sit causa peccatorum hominum? R. 1. (Quæst. 80. art. 1. o.) Certum est, diabolum aliquo modo esse causam peccatorum hominum. Patet, quia induxit Evam in peccatum, tentavit Job, & quotidie tentat homines: unde illud 1. Pet. 5. Adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit querens, quem devoret. 2. Diabolus non potest esse causa peccati directè & sufficienter: (Ibid.) quia non potest esse causa peccati nisi vel agendo interius in voluntate, & eam movendo ad peccatum, vel proponendo objectum & persuadendo ejus appetibilitatem; atqui primum non potest; est enim solius Dei movere voluntatem interius in eam agendo: secundum non sufficit, quia voluntas a nullo objecto de necessitate movetur; nisi a solo ultimo fine. 3. Potest ergo dumtaxat diabolus esse hominibus causa moralis & indirectè peccandi, (Ibid.) quatenus proponit sensibus sive interius, sive externis aliquid appetibile, & commovet appetitum sensitivum & phantasiam, & hinc suadet rationi illud esse bonum & eligibile.

Sequitur de causa peccati ex parte hominis; hoc est de Peccato Originali. Pro quo sit

DISSERTATIO VI.

DE PECCATO ORIGINALI.

D. Thom. QQ. 81. 82. 83.

ARTICULUS I.

Utrum sit Peccatum Originale ab Adamo ad posterum transmissum?

Nater causas extrinsecas peccati ultimò recensuimus hominem, qui duplici modo potest dici causa peccati: (Hic q. 81. in præm.) 1. Per modum proponens & suadentis, ut diximus de Demone: 2. Ut principium generationis transfundentis simul naturam cum culpa, quam ideo dicimus Originalem, quod est proprium primi hominis. Et querimus, an ita sit? Hæc questio est tanti momenti, ut in ea, inquit Aug. 1. 2. de Peccato Orig. cap. 24. proprie Fides Christiana consistat. Et l. 1. contra Jul. cap. 2. Hoc qui negat, ipsa Christiane Fidei subvertente firmamenta conatur.

Per Peccatum Originale intelligimus illud, quod nascendo contrahimus ex Adamo, qui, cum esset constitutus a Deo, caput, non solum naturale, sed etiam morale, omnium hominum

ab ipso seminaliter propagandorum, supponebat pro nobis, & continebat in sua voluntate voluntates nostras; ita, dum peccavit, simul in eo peccavimus. In quo consistat essentia hujus peccati, dicemus infra: sed interim, quidquid sit, esse verum peccatum, quo inficimur & nascimur filii iræ, dogma est Catholicum; quod hic probandum suscipimus adversus Hæreticos.

Dari Peccatum Originale in posteris Adæ, primus omnium negavit Pelagius, deinde ejus discipuli Julianus & Celestius, contententes Adam sibi soli nocuisse, non posteris, nisi exemplo; consequenter posteros nec culpam, nec poenam ab eo contrahere; sed mortem, morbos, & alias hujus vitæ miseria esse defectus naturales, & concupiscentiam bonum naturæ, quæ omnia expertus fuisse Adam, etiam non peccasset; proinde Baptismum non esse necessarium parvulis ad remissionem alicujus peccati, sed ut fiant filii adoptionis, & habeant jus ad Regnum cælestè, ita ut sine illo forent quidem Beati, sed extra Regnum. De his legendus est Aug. libr. de Peccato Origin. ab initio usque ad cap. 16. libr. de Peccat. meritis cap. 2. & lib. de Hæres. c. 88.

Pela.

Pelagiani subindè, argumentis Catholicorum convicti, agnoverunt Adamum, si non peccasset, non fuisse morti obnoxium, & ejus posteros ab eo contrahere necessitatem mortis corporalis; non tamen peccatum, quod est mors animæ. Ità Aug. contra duas Epist. Pelagian. cap. 2. & 4. Priorem errorem secuti sunt Albigenes & Anabaptistæ: posteriorum Zuïnglius, Faber, & Erasmus, de quibus Bellarm. l. 4. de Amissione grat. c. 2. Contra hæc Hæresim scriptus Aug. librum unum de Peccato Originali, duos de Nuptiis & Concupisc. tres de Peccatorum mer. & remissione, quatuor contra duas Epist. Pelagianorum, & alios.

Dico, Secundum Fidem Catholicam tenendum est, Peccatum Originale traduci in posteros Adæ. (Ibid. art. 1. o.) Prob. ex Scriptura. 1. Jobi 14. dicitur: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nomen tu, qui solus es? Vel ut vertunt 70. Nemo mundum a sordè, nec infans unius diei super terram: quod intelligendum est de immunditia spiritali, seu peccato; non de immunditia corporali, patet, 1. Quia loquitur de immunditia, quod solus Deus mundare potest; hæc autem est spiritalis, non corporalis, a qua utique potest homo mundare. 2. Quia loquitur de sordè, propter quam homo ducitur in iudicium ex verbis immediate præcedentibus: Et dignum dicit super hujusmodi aperire oculos tuos, & adducere tecum in iudicium: Nemo enim adducitur in iudicium nisi propter peccatum. 3. Quia immunditia in Scriptura accipitur pro peccato: sic Isa. 64. Facti sumus ut immundus omnis nos, & tanquam pannus menstruatus omnes justitiae nostræ. Item Zachar. 3.

2. Ps. 50. David dicit de se: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea; quod non potest intelligi de peccato Parentum, cum David ex legitimo conjugio & sanctis Parentibus sit natus, sed de solo Peccato Originali. Nec refert, quod dicat in plurali iniquitates & peccata. 1. Quia, licet peccatum Originale sit unum, est tamén radix plurium peccatorum. 2. Qui in peccato Adæ, quod contrahitur, multe fuerunt iniquitates, superbia, infidelitas, inobediencia, gula, &c. 3. Quia non est infrequens in Scripturis numerum pluralem poni pro singulari, & e contra: & ita contigisse nostro Interpreti evincitur inde, quod in Hebræo, ut observat Bellarm. numerus sit singularis, & ideo S. Hieron. & alii reddiderunt in iniquitate & peccato.

3. Et potissimum, Apostolus ad Rom. 5. dicit: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: ergo, juxta Apostolum, aliquod peccatum in hunc mundum intravit, quod omnes homines constituit peccatores & morti obnoxios. Subsumo; atqui istud peccatum non est actuale personale, cum infantes, qui morti sunt obnoxii, non sint illius capaces: ergo originale.

Huic invictissimo Apostolico testimonio dupliciter respondent Hæretici. 1. Dicunt, per Adamum peccatum in hunc mundum intrasse, & in eo omnes peccasse, non propagatione, sed imitatione. 2. Apostolum per peccatum hic intelligere, sicut alibi, non peccatum formaliter, sed effectum peccati, scilicet mortem vel proritatem ad malum. Contra 1. evasionem. 1. Respondent Aug. l. 1. de Peccat. meritis cap. 9. Si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum non propagatione sed imitatione intravit, ejus principem non Adam, sed diabolum doceret, de quo scriptum est: ab initio diabolus peccat. 2. Neque id infantes, neque in omnes adultos transit peccatum Adamiani per imitationem, cum infantes antè usum rationis non possint imitari Adamum peccando; neque id adulti, qui de peccato illius nihil usquam audiverunt; & tamén eos omnes comprehendit sententia Apostoli: dicit enim omnes in Adamo peccasse, & ii omnes sunt obnoxii morti, quæ juxta eundem Apost. est poena peccati. 3. Juxta Apost. ibidem, derivatur peccatum Adæ in posteros, sicut justitia Christi ad regeneratos; sed justitia Christi ad regeneratos non derivatur per simplicem imitationem, sed in eos redundat per veram in illo regenerationem: ergo.

Contra 2. evasionem. Si per peccatum Apostolus intelligeret effectum peccati, intelligeret procul dubio mortem, quæ est præcipuus ejus effectus; siquæ, dum dicit per unum hominem peccatum intrasse in mundum & per peccatum mortem, sensus esset, quod per unum hominem mors intravit in mundum, & per mortem mors; quod est absurdum. Si dicas cum Zuïngio, Apostolum hic intelligere alium peccati effectum, scilicet proritatem ad malum: contra est, quod non proritatem ad peccatum, sed ipsum peccatum verè & proprie dictam sit causa mortis, juxta eundem Apostolum c. 6. Stipendium peccati mors. Et Ezoch. 18. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Adde, quod, quamvis Apostolus aliquando sumat peccatum pro effectu peccati; nunquam tamén sumit id peccare pro effectu peccati: dicit autem, hic in quo omnes peccaverunt.

Confirmatur hæc probatio ex eodem Apost. 2. ad Cor. 5. Si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, Theol. Billuart. Pars Secunda.

& pro omnibus mortuus est Christus. Nega, inquit Aug. Juliano l. 6. contra ipsum cap. 9. Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est, de contagio peccatorum: si autem & pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt, est ergo peccatum aliquod, quo infantes recens nati dicuntur mortui; & hoc quod est aliud, nisi originale? Item ad Eph. 2. Erasmus natura, id est a nativitate & origine, filii iræ.

Prob. ex Patribus. Aug. l. 1. contra Jul. cap. 3. & 4. probat hoc dogma Catholicum ex Patribus, qui præcesserunt Pelagium, Irenæo, Cypriano, Reticio, Olympio, Hilario, Ambrosio, Innocentio l. Et cap. 5. ex Gregorio Nazianzen. Basilio; & ex 14. Episcopis Orientalibus, cap. 6. ex Chrysost. & c. 7. ex Hieron. Undè l. 3. de peccat. meritis c. 6. Locus de Peccato Originali dicit: Non aliud, ex quo Christi Ecclesia constituta est, divinarum Scripturarum Tractatores & Christianarum Disputationum Scriptores senserunt, non aliud a Majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt.

Prob. ex Concilio Concilium Palæstinum 14. Episcoporum, cujus meminit Aug. Ep. 106. damnavit eos, qui dicebant peccatum Adæ posteris non nocuisse, & infantes nunc esse tales, qualis esset Adam antè lapsum; cui definitioni ipsemet Pelagius, timens damnari a Patribus Concilii, subscripsit: quamvis postea suis Discipulis significaverit se hæc damnasè, quia verè peccatum Adæ nocuit posteris imitatione, non propagatione, & quia infantes non nascuntur cum usu rationis, quem habebat Adam antè lapsum. Concilium Milevitanum in Africa ann. 416. can. 2. sic dicit: Placuit, ut quicumque parvulus recens ab uteris matrum baptizandus natus, aut dicit in remissionem peccatorum quidem baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis Peccati, quod in aëro generationis expietur, anathema sit. Et pro ratione subiungit: Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica indiquè diffusa semper intellexit propter enim hanc regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere poterunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Concilium Arausicum 2. ann. 523. Can. 2. Toletanum VI. ann. 626. idem definiunt: similiter Innocent. I. confirmans Concilium Milevitanum, Zozimus Ep. ad Episcopos totius orbis, cujus meminit Aug. Ep. 157. ad Optatum, B. Cælestinus Ep. ad Gallos, S. Leo Ep. 86. ad Nicetam. Concil. Florent. in litteris unionis; & tandem Trident. Sess. 5. decreto de Peccato Originali can. 2. repetens decreta Conciliorum Milevitanæ & Arausicanæ. Vide etiam can. 3. & 4.

Prob. Rationibus Theologicis (Ibid.) Cum hæc veritas a sola Dei voluntate pendeat, probari non potest nisi rationibus deductis ex principiis revelatis. Prima ratio, eaque peremptoria, quam præcipue urgebant SS. Patres, petitur ex baptismo infantibus collato; & sic proponitur: Apostolica traditio est, eaque perpetua & constanti usu Ecclesie firmata, infantes recens natos, præsertim si eorum vita periclitetur, esse baptizandos. Ità docent S. Dionysius de Cælest. Hierarchia cap. ultimo, Origenes Hom. 8. in Levit. Cyprianus l. 3. Epist. 8. Hieron. lib. 3. adversus Pelagianos, Aug. l. 4. contra Donat. cap. 24. Neque id negarunt Pelagiani, Zuïnglius, & Erasmus. Hæc autem traditio tanta Ecclesie sollicitudine servata & firmata fundatur in verbis Christi, Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei; atqui baptisma confertur in remissionem alicujus peccati: ergo infantes inquinantur peccato a nativitate. Minorem negabant Pelagiani, dicentes baptisma conferri infantibus, non in remissionem peccati, neque ad consequendam vitam æternam, sed ut haberent jus ad regnum, juxta verba Christi prius laudata; distinguebant enim æternam beatitudinem a Regno. Itaque

Prob. Min. 1. Est expressa sententia Scripturæ. Act. 2. Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum. 2. Qui baptizantur, mundantur & abluuntur: patet tum ex forma baptismi, baptizo te, id est, abluo te; tum ex Scripturis Ephes. 5. Mundans cum lavacro aque verbo in vita; ad Titum 3. Per lavacrum regenerationis et renovationis; Act. 22. Baptizare et abluere peccata tua invocato nomine ipsius; atqui non mundatur, aut lavatur, nisi qui sordès & maculas habet: ergo. Secunda ratio petitur ex caeremoniis Baptismi, nimirum ex exorcismo & exsufflatione, quibus spiritus immundus abigitur: ergo autè baptismum ille spiritus tenebat infantem captivum per peccatum: usus autem istarum caeremoniarum fuit semper usurpatus in Ecclesia, & ex illo Aug. passim arguit contra Pelagianos. Tertia ratio: Christus, juxta Scripturas, & maximè juxta Apost. est Redemptio omnium, etiam parvulorum; atqui Redemptio supponit captivitatem & damnationem, damnatio peccatum, neque parvuli ullo alio peccato, quam Originali captivari possunt: ergo. Quarta ratio: Mors est poena peccati, juxta illud jam citatum:

882

881